

Appendix. — Europa Nro. 42.

Regnum Mortuorum.

Sermo politicus inter Vivos et Mortuos.

Elysium — Meum 10. Maii 1808.

Usque adeone mori miserum est? Vos o mihi, Manes,
este boni.

Aeneid l. 12 v. 626.

Cardinalis *Portocarrero* — Pater *Torres*.

Torres: Testamentum Caroli Secundi Regis nostri
est origo horum malorum.

Portocarrero: Chare Pater! Hoc poscebat Politica.
In foro quidem interno, idest de lege Successionis erat evicti
juris, Carolum, qui dein Imperator sub nomine Caroli VI.
fuerat, in Solio Hispaniae Carolo Secundo succedere debu-
isset; ast obtinuit tunc in Hispania illud: *Salus populi su-
prema lex esto*, et ideo recedens ab Austria, Stirpem *Anjou*
successorem feci, et Hispaniae solutem promovi. — *Torres*:
Ignoscat Eminentia Vestra, ego hanc utilitatem non video. —
Portocarrero: Sed vidi ego tunc; quia, si Carolus Au-
striacus de jure Successionis Coronam Hispaniae obtinuis-
set, ingens Monarchia Caroli V. ad Austriam devoluta fuis-
set; — Ergo novum fantoma universalis Monarchiae in Eu-
ropa. Carolus V. pericula hujus Universalitatis praevidens,
eam inter filium, et fratrem suum divisit.

Torres: Recte hoc improbaveram ego maximis Poli-
ticiis. — *Portocarrero*: Hoc Paternitas Vestra non capit.
Talis universalis Monarchia inter tot, consuetudinibus; mo-
ribus, lingua, legibusque diversos Populos fuisset Status
violentus; inde ortae fuissent quaquaversum revolutiones
et tumultus; Infelix genus humanum modo hic, modo illic
per malos Rectores (nam optimus etiam Princeps non po-
test ipse omnia videre) afflictum; pars una hujus Universa-
lis Monarchiae debuisset perpetuo contra alteram in armis
stare, ut ignem, modo hic, modo illic erumpentem sopiat;
oportebat itaque pro communi salute hanc Universalitatem
dividere, ut semper adsit oppositio. Finem hunc assecuti
sumus per Testamentum, quod ego per Carolum Secundum

subscribi caravi, et quod Austriae ambitionem ad universalem Monarchiam ademit. Domui *Anjou* obtigit medietas ingentis Monarchiae, quam Carolus V. possederat, ergo ego continuavi duntaxat principia, et voluntatem Caroli V.

Torres: Haec omnia necdum quietant conscientiam meam. — *Portocarrero*: Quid autem, si Imperator Carolus IV. etiam Rex Hispaniae fuisset, quanta haec perditio pro Patria nostra? Nos evasissemus provincia subalterna; ille non potuisset apud nos habitare; thesauri nostri migrassent in Germaniam; Patria nostra debuisset contra Galliam perpetuo in armis stare; tunc enim duae duntaxat erant in Europa Patentiae primae classis utpote Austria, et Gallia; reliquae debebant secundum temporum adjuncta modo huic, modo illi adhaerere. Quanta tulisset Hispania, si perpenderimus, tunc regnasse Ludovicum XIV.? Quod stirpem Bourbonum ad thronum Hispaniae vocaverim, averti omnia mala, quae in casu contrario certa erant. Sola Gallia potest peninsulam nostram invadere, reliquos arcet ipse situs geographicus; hic invasionis metus cessavit per nexum cum Gallia; atque hinc tam longa quies — A bello successionali usque revolutionem gallicam non calcavit hostis terram Hispaniae; hanc quietem, haec tanta pacis beneficia mihi debet Hispania.

Torres: Quid autem Hollandi, et Angli; an nec isti terram Coloniarum nostrarum contigerunt? — *Portocarrero*: Hispania Galliae juncta recte fuerat in procinctu Neptunum anglicanum humiliandi; bellum americanum erat primum salutare hujus resultatum, ubi Anglia optimas suas amisit colonias. Haec ad Indiam usque Orientalem propagata fuissent, sed insperata Revolutio hos effectus abruptit quidem, sed non sustulit. Bellum maritimum adhuc — nunc etiam — durat. — *Torres*. Incidimus in Charibdim, dum vitare voluimus Scyllam; Anne etiam Ludovicus XIV. de ambitione universalis Monarchiae arguebatur? — *Portocarrero*: Haec est naturalis Heroum ambitio, quae est una ex tot naturae humanae imperfectionibus. — *L'appetit vient en mangeant* (Comedendo venit appetitus.)

Torres: Ex utraque igitur parte fuerat universalis Monarchia — ab Gallia, sicut ab Austria — metuenda; et in hoc Dilemmate justitia causae, nempe ex successionis jure, fuit pro parte Austriae. Si praeterea perpendam, quas adversitates, quae bella Carolus VI. sustinere debuerit, puto, testamentum, per Eminentiam Vestram procursum, grande peccatum fuisse. — *Portocarrero*: Talia peccata sunt virtutes politicae. — *Torres*: Pro certo alia longe futura fuisset textura politicorum eventuum, si Carolus in Hispania successisset; Mundus politicus longe aliam nunc haberet physiognomiam — sed factum infectum fieri nequit. —

Quo
gas
tanu

ris V
Erat
surge
spect
legen
vit. S
se ag
quae
Revo
phae
coact
tam s
certo
nabili
toque
velle
sibi
optan
ut is
gasse
sanita
tore
gere p
tus po
nae d
Scrip
depon
nullan
Rex t
teras
Tristi
ad mo
tae te
ciem,
nia su
cipis
se quo
Mau

spanic
tentiss
tem R

Quomodo in patria nostra prospicit rerum facies? En! legas Relationem D. *Mauthion* ad Magnum Ducem Montanum, summum gallici exercitus in Hispania Ducem.

In obsequium jussorum Serenitatis Vestrae cum litteris V. S. ad Reginam Hetruriae profectus eram ad *Aranjuez*. Erat hora 8. matutina, et Regina adhuc jacebat, sed mox surgens, me venire jussit. Traditis litteris, ut momento expectarem, rogavit, dicens, se litteras Regi, et Reginae legendas tradere velle; vix elapsa semi hora, Regina rediit. Sua Majestas dicebat ad me, summas Serenitati Vestrae se agere gratias pro affectu, quem de sorte ipsius haberet, quae tanto tristior est, quia a filio venit. Rex dixit mihi: Revolutionem hanc esse pecunia praeparatam, cujus Coriphaei sunt filius suus, et Minister Justitiae *Caballero*. se coactum esse, coronam deponere, ut suam, Reginaeque vitam salvaret, cum secus ambo hac nocte interfectos fuisse, certo nosset. Peccatum Principis Asturiae hoc magis abominabile esse, cum, viso ejus ad regnandum pruritu, spectatoque senio suo 60. annorum, cum eodem jam convenerit, velle se eidem coronam resignare, si Principissam Galliae sibi matrimonio jungeret, quod Rex quam ardentissime optaret. Addidit ad haec Rex: Principem Asturiae velle, ut is cum Regina ad *Badajoz* recedat; se autem eum rogasse, ut sibi alium locum eligere indulgeret, cum clima illud sanitati suae non conducere. Optare se facultatem ab Imperatore obtinere, ut in Gallia Bona emere, ibidemque vitam exigere posset. Addidit Regina, se a filio suo dilationem abitus petiisse, at nihil impetrasse, ac proin proximo die Lunae discedere debere. Dum valedicerem, dixerat ad me Rex: Scripseram Imperatori, in cujus manus ego sortem meam depono. Volebam has litteras per cursorem dimittere, sed nullam securiorem invenire possum occasionem. His dictis, Rex tantisper recessit; sed mox reversus, tradidit mihi litteras (Legi Europae Nro. 41) ad Imperatorem, cum dicto: Tristis est sors mea. Hoc momento raptatur Princeps Pacis ad mortem, cujus unicum delictum est, quod mihi toto vitae tempore fidelis fuerit. Non esse amplius precum speciem, quam ad illum salvandum non adhibuisset; sed omnia surda, et ad vindictam praeparata reperit. Mortem Principis Pacis se non supervicturum ajebat, qui si moriatur, se quoque mox periturum. *Aranjuez* 23. Martii 1808. B. de *Mauthion*.

Biographia.

Cardinalis *Portocarrero* ex nobilissima Stirpe Hispanica Anno 1629 natus, Anno 1709 mortuus, habuit potentissimum influxum in facta suae aetatis. Paulo ante mortem Regis Hispaniae Caroli Secundi, ultimi scilicet surculi

stirpis Austriacae, deseruit hic Cardinalis ad semel partes Austriae, et transivit ad partes Galliae, et si hoc verum est, quod tam Pater *Turros* ex Ordine Dominicanorum, Confessarius scilicet Regis Caroli Secundi, quam etiam Pater *Diaz*, et plures alii contra eum fassi sunt, fecit ille testamentum, quod coronam Hispaniae stirpi *Anjou* detulit, illudque morienti Regi Hispaniae Carolo Secundo subscribendum obrusit, ex quo deiu enatum esse bellum successionale in Hispania.

Lekain.

Lekain narrabat in publico quodam loco, se habere salarium 8000 Librarum, quo ipse contentus non erat. Haec audiens quidam Officialis militaris, exclamavit: Hic Comicus queritur, se tantum 8000 Librarum habere; et ego, qui vitam et sanguinem pro Patria immolo, non habeo plus, quam 400 Libras: „Hem! retorsit *Lekain*; an hoc nihil pendis, quod mecum ita loqui possis? — Homo fit magnus per id, quod facit, non quod paritur.

Quomodo prospiciunt res Hispaniae? Rex Carolus IV. et Regina 27. Aprilis pervenerunt ad *Burgos*, ubi eos Marchallus *Bessieres* excepit. In *Vittoria* volebant more consveto 100 Praetoriani, qui Principem Asturiae comitabantur, servitiam apud Regem obire, quibus Rex respondit: „Infideles eratis in *Aranjuecz*, ego servitiis vestris nec nunc egego, recedite! — Quaquaversum Rex iter fecerat, populus eum ubique cum júbilo excepit. In confiniis inter Hispaniam, et Galliam excepit eum Princeps Neocomiensis. Ubi Rex *Bajonnam* advenit, mox accessit ad eum Imperator *Napoleon*, longiorique tempore apud eum commoratus est. Omnes Hispani, qui *Bajonnae* (*Lapurdi*) aderant, accesserunt Regem, et more gentis, genu flexo manus osculando, eidem homagium exhibuerunt. Haec videntes Galli, qui ea, quae in *Aranjuecz* evenerant, noverunt, qualiter hanc scenam spectaverint, noverint judicare Lectores. Dum Suae Majestates ad conclave recesserunt, Rex Principem Asturiae, qui eum sequebatur, his affatus est: — Quousque adhuc, Princeps insultabis canis capillis meis? — Haec erant totidem tonitrua pro iis, quorum haud pura erat conscientia.

Legatus extraordinarius Persiae, qui Parisios in itinere est, Generalis *Asker Chan* nominatus, vir in tota Persia cultissimus, et ditissimus, initio Maii advenit Constantinopolim; fertque ingentia, raraque dona *Napoleoni*. Legati Gallicus, Hispanicus, et Hollandicus, qui Constantinopoli sunt, inviserunt ad eum in *Scuttari*, loco trans fretum Constantinopolitanum in littore Asiae Constantinopoli opposito, ubi eum comitatu suo, ex 80 capitibus composito, moratur.